



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXXVII. Psalmi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

præterit; & imminetia mortis æternæ supplicia; non attendunt. Cœcipientes sunt ad bonum, sed perspicaces ad malum.

Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis; quasi si quis consuleret Deum. 2. Reg. 16. 23. In iis tamen, quæ salutis, & animæ, erant, brutò erat brutior: nam, desperatione agitatus, infamè laqueò sibi vitam interclusit. Hunc imitantur magni illi Consiliarii statûs, & rerum mundanarum periti; qui in negotiis gerendis, & consiliis aliis dandis, oracula quædam sunt; at pecora sunt in rebus conscientia: aquilæ, & lynces in terrenis; talpæ in cœlestibus. Bessius Dom. 12. Pent.

Si oculus tuus fuerit simplex. Matth. 6. 22. Hugo Card. ex S. Chrysoft. sicut, qui graves habet oculos, si ponas eum in loco tenebroso, melius videt; si autem ponas in sole, nihil videt; quia oculis non suffert solis candorem: sic & homo mundialis; qui oculum, id est, mentem desiderii terrenis sordidam habet, & turbulentam. Si ponas eum in rebus mundialibus, sapit, & astutus est: si autem trahas eum ad spiritualia, nihil sapit. Pinna. Ethol. 102.

Filios hujus sæculi. Luc. 16. 8. dicit eos, qui laudant omnia, quæ in terra lucrosa sunt: *Filios verò lucis* eos, qui debent piè spirituales divitias comparare. Theophylactus hic. Vix inveniuntur aliqui Sancti, qui tantam prudentiam habeant in acquirendis bonis æternis, quantam calliditatem filij Sæculi ha-

bent in acquirendis bonis temporalibus. Eusebius Emis. Dom. 9. Pent. Eos vocat consuetudo prudentes, sive sapientes; qui incommoda, & noxia, ab utilibus, in rebus humana vitæ, discernere curant, juxta dictum Evangelii, *filii hujus sæculi* &c. Non enim absolute prudentes, sed secundum conversationem, & consuetudinem, hujus vitæ, quæ in carne agitur. Hi namque villici iniquitatis dicuntur: quia prudenter consulunt dispensandis suæ ipsorum vitæ commodis. S. Basilii in Psal. 48.

§. VI.

Miscellanea.

Ut intelligas universa, que facis. 3. Reg. 2. 3. hoc est, ut intelligenter, & prudenter, agas, quæcumque ages: Chald. *ut prospera reddas omnia, que feceris*: qui enim prudenter sua agit, prosperè ea perficit. Cornelius hic, Basilii Imp. instituens filium Leonem, cognomentò Philosophum, hoc ultimum ei dat præceptum: Revolve JESU Sirach documenta; è quibus multum civilis, & regie, prudentiæ haurire poteris. Cornel. in Ecclesiasticum Prolegom. c. 7. Prudentia sine simplicitate calliditas est: simplicitas sine prudentiâ stultitia est. S. Albertus M. parad. an. c. 30.

Quatuor sunt hominum genera summâ egentium prudentiâ: Sacerdos in poenitentia injungenda: Index in sententia, Medicus in ægroto, dives in thesauro. S. Thom. Aqu. opusc. 37. de vit. & virt. c. 3.

TITULUS. XXXVII. PSALMI.

Exurgat DEUS, & dissipetur inimici ejus. Psal. 67. 2. Qualem orationem, aut quod verbum ex omnibus orationibus, plus timent demones? Narraverunt nobis spiritualium studiosi, homines fide digni; quod aspectu ipsò, & de facie, aliquando apparuerit eis Diabolus; & petitus ab eis hanc quæstionem responderit: non exstitit in toto tam veteri, quam novò, testamento verbum terribilius, atque magis nostram disperdens potestatem, quam initium 62. Psalmi, quamprimum enim verbò dictò, *exurgat DEUS &c.* mox ululans evanescit, & disparet, Diabolus. S. Athanasius Ep. Alexan. lib. Quæst. q. 12.

Communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus est. S. August. tr. 8. in Prolog. de libro Psalmorum. Plures ibidem laudes.

Nec cervi ita tela fugiunt, ut Psalmos David demones. S. Chrysoft. in Ps. 14.

Si te ira extimulat, mansuetudinem indue, & ad Psalmorum decantationem perfuge. S. Joan. Damasc. in fragmento sentent.

Psalmus ex lapideo etiam corde lacrymas excutit. Psalmus Angelorum opus est in censum spirituale. Ubi Psalmus adest cum compunctione, ibi & DEUS, unà cum Angelis. S. Ephrem Encomio in Psalm. Verè coruscus liber, cura sauciati cordis, fævus interioris hominis, consolatio magna lugentium. Casiodorus in Prologo Psalterii.

